

[1077-1085]

*Gregorio VII, a petición de Ramiro I de Aragón y su hijo el obispo García de Jaca señala los límites orientales y septentrionales del obispado de Jaca, confirmando las donaciones de monasterios y bienes a dicha iglesia; establece que la sede se traslade a Huesca cuando se conquiste tal ciudad; concede que la justicia contra los clérigos sea ejercida sin la intervención de reyes y nobles; ratifica la donación de las trece iglesias donadas por Ramiro I y la del monasterio de Santas Masas de Zaragoza, realizada por el obispo Paterno a dicha iglesia de Jaca.*

ACJ, núm. 22, seudo original, en letra curial romana (B).

ACH, 2-561, copia carolina siglo XII (C).

ACH, 2-29, copia de 1290 (D).

AMJ, *Libro de la Cadena*, fol. 96-97, copia siglo XIV (E).

ACH, 6-390, copia de 1334 (F).

Ed. P. HUESCA, *Teatro histórico*, V, p. 405.

Ed. SANGORRIN, *El libro de la Cadena*, p. 75.

Ed. KEHR, *Cómo y cuándo se hizo Aragón feudatario*, p. 314.

Ed. SANTIFALLER, *Quellen und Forschungen sum Urkunden*, p. 258.

Ed. DURAN GUDIOL, *Colección diplomática*, I, núm. 50.

### FALSIFICACION

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili Garsie Iaccensi episcopo eiusque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

Apostolica sedes Ihesu Christi sequens vestigia dicentis "Omnis qui venit ad me, non eitiam eum foras", ad se venientibus sinum misericordie aperit et quos videt humiliores, illos facit celsiores. Unde petitiones tuas ac gloriosi regis Rainimiri patris tui, frater Garsia, paterno affectu suscepimus et corroboratione apostolica dignas merito iudicavimus. Ipse namque christianissimus rex, pater tuus nobis carissimus, cum filiis suis, quo post discessionem terreni regni in celo cum sanctis gloriosus regnaret, beato clavigero Petro et regnum suum prius in Ispaniam tributarium fecit et preeunte divina inspiratione tuo scimus instinctu et alto consilio primus in regno suo quasi alter Moyses abiecta Tolletane illusionis superstitione legem ac consuetudines Romanas recepit, ut fides virtute Christi ac credentium numerus per instantiam regum et fidelium principum circumquaque multiplicaretur et in omnibus apostolica servaretur auctoritas. Ecclesie itaque Iaccensi, cui Deo annuente presides, sicut prefatus rex tecum humiliter postulavit, terminos episcopatus Ara-

gone, quod de eis postmodum cum vicinis episcopis nec lis nec ambiguitas remaneant, apostolici privilegii munitione presenti firmavimus, videlicet in parte orientali circumquaque usque ad Cingam fluvium, tam in montanis quam inferius in plana Ispania, ubi etiam usque ad vallem Lupariam limites Oscensis episcopii antiquitus protensi fuisse dinoscuntur. In septentrionali vero parte prout montes Pirenei supereminet, inclusis vallibus usque ad villam Araguas, ultimam vallis Ansotane, et usque ad locum qui vulgo dicitur Mons Cubelli, et deinde sicut Aragona fluvius discurrens regnum Aragonie dividit, quosque perveniat ad locum qui Plana Maior populari lingua nuncupatur, incluso toto Pinitano, cum valle Orsella et subscriptis castris, Rosta scilicet et Ulle, Sos et Unocastello, Lusía, Bel, Aguero et Morello, que edificata ab avo tuo Sancio rege fuere. Largitiones nec non monasteriorum, villarum, prediorum, possessionum et vectigalium seu tributorum redditus, que idem rex conscriptione regali Iaccensis ecclesie contulit, nos presenti assertione inconversa ei permanere censemus, videlicet cenobium Sasave ac cenobium Lierdi et cenobium Septemfontes et cenobium Ravaga et cenobium Sancti Emeterii et cenobium Siresie, cum earum omnibus pertinentiis, et ecclesiam de Alquezar et de Aguero et Morello, cum omnibus eis adiacentibus.

Ad hec adicientes stabilimus ut Oscitana sedes, que nunc cum maiori parte sue parrochie in captivitate detinetur, si quando Deo miserante liberata fuerit supra fixorum terminorum caput et sedes quod antiquitus extitit, habeatur et tamquam filie matri Barbastrensis ecclesie ac Iaccensis ei libere subdantur.

Libertatem etiam et iustitiam omnium Iaccensis episcopatus clericorum vel abbatiarum, quam reges et milites iniuste prius sibi vendicabant, eidem ecclesie concedimus et prohibemus et nulli regi vel principi sit licitum amplius episcopum clericos vel abbatias nec inmodicum molestare.

Omnes quoque decimas vel primicias omnium ac presentis privilegii auctoritate memorate ecclesie cum tredecim parrochialibus abbatii que circum adiacent confirmamus, quas predictus rex, una cum filiis ac primatibus suis ipsi ecclesie libere largitus est.

Super hec omnia addimus Sanctarum Massarum monasterium, cum redditibus suis, quod a Paterno Cesaragustano episcopo favente suo clero Iaccensi ecclesie collatum fuisse cognovimus.

Hec igitur omnia que huius presentis decreti nostri pagina continet in perpetuum servanda decernimus, servata in omnibus debita apostolica reverentia.

Si quis vero regum, ducum, comitum, antistitum, clericorum, iudicum ac secularium personarum, hanc constitutionis nostre paginam agnoscens contra eam temerario ausu venire temptaverit, ammonitus semel et iterum usque tercio per convenientes indutias, si non resipuerit atque predictae ecclesiae non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi ea quae ab illo sunt male ablata restituerit vel digna penitentia illicita acta deflexerit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini redemptoris nostri Ihesu Christi alienus fiat atque in eterno examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesiae iusta servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia aeternae pacis inveniant.

*Rota:* Miserationes tue Domine super omnia opera tua.